

indifferens in ratione meriti, id est, nec meritorius, nec demeritorius, esto non possit in individuo dari actus indifferens in ratione boni vel mali. Aliqui enim partem negantem D. Thomæ attribuunt in 1. 2, quæst. 18, artic. 9, et quæst. 21, art. 4, sed immerito, nam in priori loco non agit de merito, sed de bonitate et malitia; nos autem jam supponimus hoc posteriori modo non dari actum indifferenter. In altero vero loco imprimis D. Thomas non tractat de merito de condigno, sed de merito, secundum quamdam generalem rationem, quæ potest in omni actu bono salvari, ut postea videbimus. Unde, quod notandum est, D. Thomas non tractat specialiter de operibus justorum, et discursus ejus æque procedit in operibus bonis peccatorum. Dico ergo nullum esse inconueniens dari in justo opus bonum, ac proinde non demeritorium, quod nec meritorium de condigno sit, quia illa duo, scilicet, meritum et demeritum, nec de se sunt immediate opposita, quia non includunt immediatam contradictionem, sed quasi moralem oppositionem contrariam, in qua potest inveniri medium per carentiam utriusque contrarii, nec potest assignari divinum præceptum, vel ordinatio, vel aliud principium extrinsecum, ex quo talis necessitas, vel immediata oppositio oriatur. Et huic sententiæ favet divus Thomas, quæst. 114, artic. 3, quatenus dicit opus bonum, quatenus est a libero arbitrio, esse meritorium tantum de congruo, nam inde recte colligimus, si in homine justo sit opus bonum a solo libero arbitrio procedens, ad summum esse posse meritorium de congruo. Neque contra hoc obstat quod objiciebatur, quia talis actus, quatenus inutilis ad vitam æternam, non videtur aliqua deformitate carere. Respondemus enim primo, deformitatem illam, si qua est, solum esse imperfectionem negativam, non privativam, et ideo non reddere actum malum, sed non perfectum. Secundo, dicimus, licet talis actus non sit per se utilis ad vitam æternam, juvat saltem tanquam removens prohibens, quia impedit peccatum, et hoc satis est ut possit esse bonus, si objectum et circumstantias debitas habeat. Et hæc resolutio ex his, quæ postea de merito moralium actionum dicemus, magis confirmabitur.

CAPUT VIII.

UTRUM SOLUS ACTUS ELICITUS A CHARITATE SIT MERITORIUS DE CONDIGNO APUD DEUM?

1. *Tres virtutum ordines.* — Diximus opus meritorium non tantum bonum, sed etiam aliquo modo supernaturale esse debere; sequitur explicandum qualis esse debeat hæc bonitas, et quanta hæc supernaturalitas, quod præstabimus discurrendo per tres ordines virtutum. In primo ponimus solam charitatem, tanquam summe perfectam, et aliquo modo principium et radicem totius meriti; in secundo ponimus virtutes et dona per se infusa; in tertio reliquas virtutes morales infimi ordinis, seu acquisitas. Et imprimis circa actus charitatis supponimus tanquam per se notum, actus elicitos a charitate maxime esse per se, et intrinsece meritorios de condigno apud Deum, quia nulli sunt excellentiores actus, nec Deo gratiores; et ideo in Scriptura maxime promittuntur præmia diligentibus Deum, et Paulus dixit, Dominum redditurum coronam justitiæ non solum ipsi qui fidem servaverat, sed etiam omnibus qui diligunt adventum ejus, 2 ad Timoth. quarto; et ad Galat. quinto, apud Deum tantum valere fidem, quæ per charitatem operatur; et 1 ad Corint. 13, omnia charitati tribuit.

2. *Perperam limitatur ad certam intensionem vel durationem vis charitatis ad merendum.* — Solum posset in hoc puncto quæri an hoc sit verum de omni actu charitatis indifferenter; non enim defuerunt qui aliquam limitationem in hoc posuerunt, vel ex parte durationis, vel ex parte intensionis, postulantes aliquem certum gradum, vel minimum terminum, infra quem actus, etiamsi charitatis sit, non sit meritorius; ad eum utique modum quo aliqui Scholastici dixerunt, non omnem actum amoris vel contritionis sufficere ad obtinendam justitiam et remissionem peccati, nisi certam intensionem habeat, vel tanto tempore duret. Sed, sicut illa sententia omnino falsa est, et hoc tempore improbabilis, ut tom. 4 tertiæ part., disputat. 4. sect. 4 et 5 ostendimus, ita in præsentem illud asserere esset ineptissimum, quia rationes ibi factæ, hic etiam vim habent, et quia est limitatio quædam, præter absolutum et indefinitum modum loquendi Scripturæ, sine ullo probabili fundamento rationis vel auctoritatis.

3. *Probatur de duratione divisibili.* — Et quidem de duratione neminem dixisse invenio, esse necessarium ut actus aliquo determinato tempore, etiam minimo, duret. Non defuerunt tamen, qui dixerint necessarium esse ut pro tempore durent, indefinite tamen, quia quælibet temporalis duratio, quantumcumque minuatur, sufficet; moti præcipue vulgari sophismate de continuatione actus. Verumtamen mihi hoc etiam improbabile est, quia in uno instanti habet actus charitatis totam suam perfectionem substantialem et intrinsecam, cum sufficiente usu libertatis; et ita malus angelus in primo instanti suæ creationis vere meruit, licet pro solo illo in gratia perseveraverit, ut communior opinio fert. Et Christus Dominus in primo instanti suæ conceptionis perfectissime meruit, et non minus quam in aliquo vitæ tempore, quia infinite. Sed de hoc puncto iterum in c. 21 occurret sermo.

4. *Probatur de intensione.* — De intensione vero actus neminem invenio, qui ad meritum, absolute loquendo, certam quantitatem absolutam intensionis postulet, etiam minimam. Aliqui vero illam requirunt quasi respectivam; volunt enim necessarium esse ut actus sit intensior habitu, quia alias nihil novi merebitur, saltem in præmio essentiali. Sed hanc opinionem satis supra impugnavimus in l. 9. Quapropter indistincte supponimus, omnem actum elicitem a charitate, quantum est ex parte actus, esse meritorium de condigno. Dico autem, quantum est ex parte actus (quod semper in sequentibus subintelligendum est), quia ex parte personæ, est necessarius status gratiæ, et alia infra tractanda. Et quamvis si actus sit actu elicitem ab habitu jam supponat statum gratiæ, fieri tamen potest ut actus similis non sit elicitem ab habitu, sed ab auxilio, et tunc potest deesse conditio ex parte operantis. Quomodo autem hoc contingat, et qualiter intelligendum sit, in sequentibus explicabitur.

5. *Questionis sensus.* — Prima opinio affirmans. — Hac ergo generali affirmatione supposita, præsens quæstio est de altera parte exclusiva, scilicet, an solus actus elicitem a charitate sit meritorius apud Deum de condigno præmii substantialis, id est, gratiæ sanctificantis, et visionis Dei; hoc enim nunc vocamus simpliciter meritum de condigno; nam meritum accidentalis præmii parvi momenti aut considerationis esset, nisi esset annexum substantiali præmio quod supponeret.

In hac ergo quæstione est prima opinio affirmans, solos actus elicitos a charitate esse meritorios de condigno præmii substantialis, actus vero aliarum virtutum, licet a charitate imperentur, non addere illis meritum præmii substantialis, sed accidentalis tantum. Hæc opinio videtur habere magnum fundamentum in D. Thoma, 1 p., quæst. 95, art. 4, ubi sic ait: *Quantitas meriti ex duobus potest pensari: uno modo ex radice charitatis et gratiæ, et talis quantitas meriti respondet præmio essentiali, quod consistit in Dei fruitione; alio modo considerari potest quantitas meriti ex quantitate operis, quæ quidem est duplex, scilicet absoluta et proportionalis, et tamen utraque respondet præmio accidentali, quod est gaudium de bono creato.* Eamdem opinionem videtur satis expresse docere Bonavent. in 2, dist. 40, art. 2, q. 3, ubi inter alia dicit, quatenus aliquid valet ad meritum, quia per illud meretur homo majorem gloriam, hoc modo majorem charitatem valere ad perfectum meritum, reliqua vero virtutum opera solum proficere ad hoc meritum, quia vel disponunt ad profectum charitatis, vel ad conservationem et perseverantiam ejus, removendo impedimenta, unde concludit, non augeri mercedem præmii substantialis propter multiplicationem talium operum. Et hanc opinionem maxime defendit hoc tempore Bannez, 2. 2, q. 24, a. 6, dub. 5.

6. *Suadetur ex Scriptura.* — Fundatur præcipue in aliquibus locis Scripturæ, quibus soli charitati, seu dilectioni Dei videtur promitti essentialia præmia. Nam Christus, Joan. 14, dixit: *Si quis diligit me, diligitur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum;* et Paulus, ad Rom. 3, hac ratione dixit: *Plenitudo legis est dilectio;* et 1 ad Cor. 13, non solum illam præfert omnibus, sed etiam illi tribuit omnium virtutum officia, quia ab illa habent quod meritoria sint, et sine illa nihil valent, et ideo ad Coloss. 3: *Super omnia (inquit) charitatem habete, quod est vinculum perfectionis;* et ad Ephes. 3: *In charitate radicati et fundati, ut possitis comprehendere, etc.;* ac denique ad Galat. 5: *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, nec præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur.* Totus ergo valor nostrorum operum, præsertim in ordine ad substantiale præmium, in charitate positus est. Quod potest etiam confirmari ex illo 1 ad Cor. 2: *Oculus non vidit, neque auris audivit, et in cor hominis non ascendit, quæ præparavit Deus di-*

ligentibus se; illud ergo præmium essenziale soli amori præparatur, imo et illi soli promittitur. Ait enim Jacobus, c. 1: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromissit Deus diligentibus se.* Ac denique propterea videtur dixisse Paulus ad Rom. 5, spem, quæ principaliter est de essentiali præmio, non confundere, quia *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.*

7. *Ex Patribus.* — Secundo, potest simili modo hæc sententia fundari in sententiis Patrum, qui ubique tribuunt charitati rationem meriti, et justitiæ nostræ apud Deum. Nota quidem est illa sententia Augustini, l. de Nat. et grat., c. 42: *Charitas est verissima, plenissima, perfectissimaque justitia*; et c. 70 ejusdem libri: *Charitas inchoata, inchoata justitia est; charitas profecta, profecta justitia est; charitas magna, magna justitia est; charitas perfecta, perfecta justitia est; sed charitas de corde puro, conscientia bona, et fide non ficta.* Ex qua sententia potest ratio formari, quia essenziale præmium respondet nostræ justitiæ apud Deum; sed hæc justitia est sola charitas; ergo solum opus proprium charitatis est opus justitiæ apud Deum ad substantiale præmium promerendum. Et ideo l. 15 de Trinit., c. 18, dixit idem Augustinus, solam charitatem dividere inter filios Dei, et perditionis; et Prosper, l. 3 de Vita contempl., c. 14 et 15, charitati omnem rationem et valorem meritorum tribuere videtur; et Gregor., homil. 7 in Evang., charitatem omnium meritorum radicem esse dicit.

8. *Ex ratione.* — Tertio, ex intrinseca natura meriti de condigno potest hæc opinio ratione suaderi: nam, ut opus sit meritorium de condigno, necesse est ut sit ita proportionatum præmio, ut aliquam æqualitatem ad illud habere videatur; sed solus amor Dei ex charitate habet hujusmodi proportionem cum fruitione, seu visione beatifica, in qua substantiale præmium nostrorum meritorum consistit. Consequentia est clara, et major supra probata est. Minor autem declaratur, quia fruitio beata perfectissime unit hominem Deo, quantum in termino fieri potest: charitas autem sola perfecte unit animam Deo, quantum in via fieri potest; ergo sola charitas est, quæ cum illa felicitate habet proportionem necessariam ad meritum de condigno. Secundo, illud præmium est consecutio Dei, prout est in se; sola autem dilectio est tendentia in eundem Deum prout

est in se; ergo sola illa habet dictam proportionem. Tertio, in beatitudine sola fruitio seu visio est quasi substantia, in qua etiam amor includitur; reliquæ autem virtutes sunt quasi accidentia. Simili autem modo, servata proportionem, se habet amor in via ad reliquos actus virtutum, quia in amore est quasi substantialis vita animæ, cui cætera accidunt; ergo optima proportio est, ut amori respondeat essenziale præmium, cæteris autem virtutibus accidentalia. Quarto, in omnibus operibus hujus vitæ invenitur magna imperfectio, et inæqualitas, si ad præmia beatitudinis comparentur; ergo optima proportio est, ut perfectissimo actui viæ respondeat optimum præmium patriæ, cætera vero inferioribus actibus. Denique augmentum præmii essentialis correspondet augmento gratiæ, et consequenter etiam augmento charitatis; sed charitas non augetur, nisi suis propriis actibus, tum quia nullus habitus augetur nisi per actus suos; tum etiam quia omnes actus aliarum virtutum sunt minus perfecti, ac proinde etiam improporionati ad meritum de condigno talis augmenti; ergo multo minus proportionati sunt ad augmentum præmii essentialis.

9. *Secunda opinio negativa et vera.* — *Probat*ur primo plusquam probabiliter ex Scriptura. — Nihilominus opinionem hanc nullo modo probandam aut tolerandam censeo, quia parum consentanea videtur Scripturis, et communi sensui Ecclesiæ et Patrum, nimumque coaretat merita Sanctorum, præter Dei magnificentiam, et largitatem, ac convenientem providentiam. Dico ergo justos non solum mereri præmium substantiale, suis operibus promissum, per actus elicitos a charitate, sed etiam per actus aliarum virtutum. Hæc assertio, quam etiam attingi in Relect. de Reviv. merit., disp. 2, sect. ult., n. 54, est communis sententia Theologorum quos infra referemus. Disputant enim an actus aliarum virtutum indigeant relatione charitatis, et sint hoc modo meritorii, et quidam affirmant, alii negant, ut postea videbimus: omnes tamen supponunt esse meritorios ejusdem præmii, cujus est meritorius actus charitatis. Item disputando de augmento meriti, illud tribuunt multitudini operum, et perfectioni eorum, vel ex objecto, vel aliis moralibus circumstantiis, ut infra videbimus. Et hoc solum est a nobis probandum; nam quod isti actus sint meritorii, etiam de condigno, alicujus cœlestis et supernaturalis

præmii, nullus catholicus negare ausus est. Probatur ergo de præmio essentiali. Primo ex forma judicii, in qua Christus dixit Matth. 25: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi: esurivi enim, et dedistis mihi manducare, etc.* Ubi verisimile non est, Christum, nomine regni cœlorum, quod Deus electis præparavit, significare solum aliquod accidentale præmium, at patet ex similibus Scripturæ locis, Joan. 3: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei, et illo: Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud, et similibus.* Dicit autem Christus se daturum in die judicii hoc regnum propter opera misericordiæ; ergo valde alienum est a justitia illius judicii negare his operibus meritum illius regni ac substantialis præmii. Atque ita probant hanc veritatem omnia loca, in quibus Deus dicitur judicaturus homines, eisque daturus locum vel mercedem secundum opera sua, Matth. 16, Rom. 2, 1 Cor. 3, 2 Cor. 9, Psal. 61, Eccles. 16, et similia sunt multa. Præterea Christus, Matth. 19, interroganti: *Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* respondit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata, et statim enumerat mandata moralia; et Joan. 5, de resurgentibus generaliter dicitur: Procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, ubi non de sola charitate, sed de bonis operibus fit mentio, et illis promittitur resurrectio ad vitam æternam.* Præterea eleemosyna opus est virtutis moralis, et tamen de illa dicit Paulus, 1 ad Tim. 6: *Divitibus hujus sæculi præcipe bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant vitam æternam; ergo etiam illa opera, ex fide viva facta, sunt fundamentum et ratio apprehendendi vitam æternam, per quam certe non præmium accidentale, sed essenziale significatur.* Unde Paulus ad Rom. 13: *Beneficentiæ (inquit) et communionis nolite oblivisci, talibus enim hostiis promeretur Deus; Deus autem non est accidentale præmium, sed est præcipua merces magna nimis, seu est denarius diurnus promissus laborantibus in vinea.*

10. *Probat*ur secundo vehementer ex Tridentino. — Ex his ergo modis loquendi Scripturæ, qui passim obvii sunt, assertio posita plus certe quam probabiliter colligi videtur. Atque ita illam valde confirmat Concilium Trid., dicta sess. 6, cap. 16, absolute docens,

bene operantibus usque in finem, et in Deo sperantibus, proponendam esse vitam æternam, et tanquam gratiam, filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissam, et tanquam mercedem, ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddendam. Ubi evidens est, nomine vitæ æternæ significari essenziale præmium, nam propria hæreditas filiorum Dei est essentialis beatitudo, et hanc ipsam dicit Concilium esse mercedem non solius charitatis, sed bonorum operum, quæ ad alias etiam virtutes pertinent. Unde id confirmat ex illo 1 ad Corinth. 15: *Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino.* Et infra expresse dicit, illis operibus bonis in Deo factis, quibus divinæ legi pro hujus vitæ statu satisfacimus, promereri justos vitam æternam. At vero præceptis divinis non satisfacimus per solum actum charitatis, sed necessarii sunt etiam aliarum virtutum actus; ergo illis etiam actibus vere et proprie meremur vitam æternam. Ac denique in can. 32, absolute definit, justificationem, bonis operibus ex gratia factis, vere mereri gratiæ augmentum, vitam æternam, et augmentum gloriæ, ubi nec generalius de bonis operibus, nec clarius de essentiali præmio loqui potuit.

11. *Probat*ur tertio rationibus. — *Prima.* — Tertio argumentor ratione, quia imprimis cum charitas ipsa duos habeat principales actus, scilicet dilectionem Dei et proximi, interrogo an sola dilectio Dei sit meritoria de condigno substantialis præmii, vel etiam dilectio proximi. Primum profecto credibile non est; nam cum Paulus dicat ad Rom. 13: *Qui diligit proximum, legem implevit, et alibi dicat, factores legis justificari apud Deum, quomodo credibile est hanc dilectionem non esse meritoriam gratiæ, et gloriæ essentialis? Et hoc confirmat quod ibidem Paulus subdit, quod plenitudo legis est dilectio, et quod ait Joannes, 1 canon., cap. 1: Qui diligit fratrem suum, in lumine manet; et cap. 3: Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Denique ille actus est elicitus a charitate, et virtute continet dilectionem Dei; cur ergo non erit meritorius illius præmii? Si autem primum admittatur, scilicet, actum dilectionis proximi habere proprium, et (ut sic dicam) substantiale meritum distinctum a merito amoris Dei, hinc imprimis enervantur fere omnia fundamenta prioris sententiæ,

quia amor proximi non est tam perfectus actus, sicut amor Dei, neque attingit directe, et tanquam objectum *quod*, ipsum finem ultimum, et ideo non est super omnia, sicut dilectio Dei; ergo non est de ratione meriti præmii essentialis, quod sit perfectissimus actus, nec quod directe tendat in ipsum Deum, qui est objectum beatificum. Ac denique, licet illa dilectio proximi eliciatur a charitate, quæ est virtus Theologica, nihilominus in se non est actus proprie et formaliter theologicus, sed moralis, quatenus proxime ac directe versatur circa materiam creatam; ergo eadem ratione poterunt alii actus morales esse meritorii, cum etiam fieri possint propter Deum, et multi in individuo, et fortasse etiam in specie possint esse meliores, ut actus religionis vel pœnitentiæ.

12. *Confirmatur primo.* — Et confirmatur, quia si amor proximi meritorius est, etiam actus misericordiæ et beneficentiæ proximorum erunt meritorii essentialis præmii, quia virtualiter continent ipsum amorem, quamvis ordinarie sine proprio actu interno amoris proximi elicto a charitate exerceantur, sed immediate per actum elicitum misericordiæ, quæ vel non minus, vel satis superque placet Deo, et est quædam dilectio in opere et veritate. Et absolute id probari potest, quia his operibus, ut opera misericordiæ sunt, promittitur in Scriptura merces æternæ vitæ, ut vidimus. Ac denique confirmatur, quia alias in omnibus operibus vitæ activæ nullum esset substantiale meritum, nec per ea, ut talia sunt, augetur vera justitia et sanctitas apud Deum. Consequens autem absurdum est, et incredibile, et contra communem Ecclesiæ sensum, parumque homines justos ad hujus vitæ exercitia allicit; contrarium autem legimus fecisse Christum, cum dicebat: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur; beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur;* et Paulus, cum aiebat: *Fidem servavi; ideo reposita est mihi corona justitiæ,* non intellexit esse sibi reddendam solum, quia dilexit Deum, contemplando et orando, sed etiam quia munus suum implevit evangelizando, et pro salute proximorum laborando. De qua re videri potest Bernardus, lib. de Grat. et liber. arbitr., circa finem, et Augustinus tract. 51 in Joan., ubi explicat, quid sit et quanti meriti sit ministrare Christo in obsequiis proximorum; et alii Patres, contra Jovinianum docentes pro meritorum multitudine majus præmium es-

sentiale retribui, ut videre licet in Hieronymo, lib. 2 contra Jovinian.; et Augustino, lib. de Sancta Virginit., per multa capita; et Gregorio, lib. 4 Moral., cap. ultim., et aliis quos retuli, dicto libr. de Visione Dei, cap. 20; quibus addi possunt verba Prosperi lib. 2 de Vocat. gent., ubi, licet aliud agens, inquit: *Implendæ voluntatis Dei ita est præordinatus effectus, ut per laborem operum, per instantiam supplicationum, per exercitia virtutum, fiant incrementa meritorum, et qui bona gesserint, non solum secundum propositum Dei, sed etiam secundum sua merita coronentur.* Adde denique sententiam libri de Ecclesiast. dogm.: *Abstinentibus a vino vel carnibus, pro amore castigandi corporis, nihil credere meriti accrescere, non hoc Christiani, sed Joviniani est.*

13. *Ruit evasio.* — Alvarez, lib. 7 de Auxiliis, disput. 60, num. 22. — Nec satisfaciet qui dixerit opera vitæ activæ fieri debere ex amore Dei, et inde habere præmium essentialis, hoc, inquam, non satisfacit, nam ex hoc ipso sequitur præmium essentialis non augeri propter talia opera, quod certe nimium averteret voluntates ab usu et exercitio illorum; tum etiam quia potius talia opera impedirent augmentum illius præmii, quia moraliter efficiunt ut actus interiores, et elicti amoris Dei nec tam frequentes sint, nec tam intensi; tum etiam quia sequeretur non esse majoris meriti, per se loquendo, dare magnam quantitatem in eleemosynam, quam parvam, neque esset magis meritorium orare quam legere, verbi gratia, ex honesto motivo, et sic de aliis actibus moralibus perfectioris vel minus perfectæ virtutis. Sequela probatur, quia ista omnia possunt fieri ex æquali amore Dei actuali; quod enim contingat melius opus morale ex majori amore Dei procedere, neque est necessarium, aut per se requisitum, ut per se constat, neque etiam est ordinarium, aut nimium frequens, ut quidam fingunt. Nam sæpe contingit hos actus fieri sine actuali amore Dei. Unde eodem modo continget fieri cum æquali amore actuali, vel etiam in virtute unius et ejusdem actus præcedentis. Consequens autem multum repugnat Scripturis allegatis, imo quidam modernus Thomista dixit esse contra loca expressa Scripturæ, et allegat quæ adduximus, et nonnulla alia, quæ postea nos ponderabimus, quia pertinent ad particulares virtutes, in quibus hæc veritas magis probabitur.

14. *Secunda ratio principalis, et a priori.* — Ratio autem a priori assertionis est, quia

neque ex natura rei, neque ex aliqua Dei lege ostendi potest hanc conditionem, scilicet, quod actus sit elicitus a charitate, esse necessariam ad meritum de condigno ipsius beatitudinis essentialis, et alioqui in actibus aliarum virtutum inveniri possunt omnes aliæ conditiones necessariæ ad meritum, ut per se notum est; ergo. Major quoad posteriorem partem de lege Dei satis probatur, quia nullibi ostendi potest; et efficacius, quia contraria lex in Scripturis allegatis invenitur. Quoad alteram vero partem probatur, quia actus aliarum virtutum, licet immediate non attingant Deum ipsum, cedunt in gloriam ejus, et sunt media ultimo fini consequendo proportionata, ut in capitibus sequentibus magis declarabitur. Et utraque pars respondendo ad fundamenta contrariæ sententiæ fiet evidentior.

15. *Ad loca Scripturæ in num. 6.* — *Ad Patres in num. 7.* — Testimonia ergo Scripturæ primo loco allegata, probant quidem dilectioni charitatis promitti essentialis præmium, non tamen probant illi soli promitti. Item aliqua ex illis probant sine charitate nullum esse meritum de condigno, et esse aliquo modo radicem totius meriti, et ad summum aliquam relationem charitatis ad hujusmodi meritum postulari, inde tamen non sequitur totum essentialis meritum in solo actu charitatis formaliter inveniri. Unde divus Thomas 1. 2, quæst. 114, art. 4, inde solum intulit quod *meritum vitæ æternæ primo pertinet ad charitatem, ad alias autem virtutes secundario, secundum quod earum actus a charitate imperantur.* Neque plus probant testimonia Patrum secundo loco adducta. Charitas enim dicitur esse ipsa justitia, quasi formalis et essentialis, cum illa gratiam comprehendendo, et in suo gradu, fidem et spem, ut in lib. 8 explicuimus; non est autem necesse ut omnia opera justitiæ et meritoria de condigno immediate procedant ab essentiali seu principali justitia, sed satis est ut ab aliis facultatibus ejus eliciantur, ut in sequenti capite magis explicabimus. Neque Prosper aut Bernardus aliud dixerunt, nisi charitatem esse necessariam ad meritum, et esse radicem ejus, quæ vera sunt, etiamsi non sit charitas proximum principium omnium actuum, quibus de condigno meremur.

16. *Ad rationem in num. 8.* — Ad rationem tertio loco positam, respondetur concedendo esse necessariam proportionem ad meritum de condigno, et negando hanc non inveniri

in actibus aliarum virtutum, sed in solo actu charitatis. Quia hæc proportio non consistit in æqualitate perfectionis; nam hæc etiam inter actum charitatis, et visionis beatæ fortasse non invenitur, neque etiam ad sufficientem proportionem necessarium est, ut actus meriti directe et immediate attingat Deum ipsum, qui est substantiale præmium meritorum, per visionem sui seu comprehensionem obtinendum, quia hoc spectat ad quamdam æqualitatem rei ad rem, quæ necessaria non est. Unde neque in amore proximi, neque in voluntate colendi Deum, neque in similibus actibus, qui ad meritum sufficientissimi sunt, invenitur. Sufficit ergo quod opus bonum sit, et in Deum, ut supernaturalem finem, tendat; nam hæc proportio est quasi viæ ad terminum, vel medii ad finem; actus autem bonus, eo ipso quod ad illum terminum tendit tanquam ad finem ultimum, est proportionatum medium, et quasi via recta ad illum. Et ita responsum est ad primam et secundam probationem. Ad tertiam, respondetur nihil referre proportionem illam. Præsertim quia omnes virtutes operativæ, etiam charitas in via, comparantur ad gratiam, tanquam accidentia intrinseca seu proprietates ad essentiam, et ita omnia habent cum gratia proportionem, ut illi ad consequendam visionem beatam, per quam consummatur, deserviant. Præsertim quia etiam in beatitudine amor est quasi proprietas consequens visionem, et nihilominus illam in via meretur. Adde accidentia, licet per se tantum sufficiant ad similia accidentia producenda, tamen, ut conjuncta formæ substantiali, esse posse apta instrumenta ad producendam substantiam; ergo, servata aliquali proportionem, licet actus aliarum virtutum per se spectati solum valerent ad præmia accidentalialia (quod fortasse voluit divus Thomas in priori loco citato), nihilominus, ut conjuncti gratiæ et charitati, erunt satis apti ad substantiale meritum. In quarta probatione, si sermo sit de imperfectione privativa, falsum est assumptum, quia in actibus aliarum virtutum nulla talis imperfectio invenitur. Si vero sit sermo de imperfectione negativa, nulla est illatio, quia jam dictum est non esse necessariam æqualitatem perfectionis inter actus præmii, et meriti de condigno. Denique in ultima probatione falsum assumitur; nam gratia per omnes suos actus augetur, et consequenter omnes ejus virtutes, ut in libr. 9 tractatum reliquimus.